



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Martyrivi S. Iacobi Intercisi: Ex eo quod fide optima extat apud V. P. Laur.
Surium: Coronatus est sub Isdegerdo Persarum Rege, temporibus
Theodosij Iunioris Romanor. Imperatoris: qui floruit anno ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

quam ipse condiderat, summa cum celebritate sepultum.

MARTYRIVM S. IACOBI INTERCISI:

Vide C. Baron. Nota. ad Martyrol. Rom.

Ex eo quod fide optima extat apud Laur. Surium: Coronatus est sub Isdegenis Persarum Rege, temporibus Theodosij Imperatoris: qui floruit anno Christi 379. & seqq.

27. Nouē.

Nimia principis familiaritate à Christo abducitur.

Mater eius & vxor amplius eum nolunt agnoscere.

Redit ad mentem & acerbissime facinus suū desbet.

IA C O B V S martyr ex regione Persarum ciuitate Elape oriundus, nobilis genere, sed fide nobilior, cum à parentibus Christiana pietate egregiè imbutis, Christianissimam pariter accepisset vxorem, non potuit non eximijs pietatis operibus efflorere. Sed cum Regi Persarum notissimus inter optimates primus haberetur, accidit vt nimio principis amore seductus, animum ad cultum idolorum paulatim inflecteret, & nefandis simulacris thura offerret. Quòd simulacra mater & & vxor intellexere, protinus datis ad eum literis, nefarium, quo se obstrinxerat, facinus ei ob oculos posuerunt, præcisè nunciantes se sanguinis communionem in perfido homine & fidei Christianæ desertore amplius non agnoscere. Iacobus his perceptis, non potuit non animo commoueri, totusque lachrymis infusus: Si, inquit, quæ me genuit mater, & coniunx charissima tanto odio perfidiam detestatur: Christus Dominus, qui me suo sanguine redemit, quibus me oculis nunc aspiciet? Hac dicens facinusque detestans multis sese lamentis confecit: nihilque non fecit vt amissam

sciam conscientia pacem ac tranquillitatem recuperaret.

Ea res cum alijs minimè occulta esset, tum ad aures Imperatoris delata est; qui Iacobum ad se deduci præcepit: adductoque acerbissimam & propter novitatem summè admirandam, inaudita tyrannide intulit morem. Nam iuncturis & articulis quibusque membratim resectis, cum nihilominus in Christi confessione inuictus permaneret, capite truncatus, martyrij coronam adeptus est.

* Regis Is-
degerdis.

Membratim
à capite ad
calcem vsq;
conciditur.

MARTYRIVM S. SATVRNINI PRIMI
mi Episcopi Tholosani: Ex Ioanne Maldona-
to Hispano & surio. Coronatus est Tholose in
Gallia anno Christi 254. Deij Imperato-
ris 2.

Vide Tom.
2. Annal.
C. Baron.
& Notat. in
Marty. Romo

SATVRNINVS vrbis Tholosæ epi-
scopus rem Christianam, Decio Cæsare
imperante, plurimum auxit, maximasq;
gentium superstitioni tenebras offudit. Nam
cum bonus antistes in ecclesiam tunc modicam
iraret, & Tholosanum Capitolium inter
domum eius & ecclesiam mediū interiaceret,
responsis solitis deos quoties transfret, priua-
bat: ac mutos omninò reddebat. Quod longa
diuturnaque obseruatione Tholosani ciues
intelligentes, Saturninum corripuerunt, & in
arcam Capitolinam pertractum, magnis voci-
ferationibus, ni patrio more sacrificaret, se in-
terfecturos comminati sunt. At ille Deo vero,
non autem dæmonibus ac truncis immolatu-
rum se, constanter affirmans: impios illos
præ-

29. Nouē.
Promouet
rem Chri-
stianam.

Deorum ora
clauduntur
sancti viri
presentia.